

Solet vulgus Logicorum confundere hæc vocabula, divisionem cum distributione, & utramq; cum partitione. Sed probi Latini hanc confusionem abominantur. Hos & nos secuti sumus. Vide *Quintil. l. 7. inst. orat. c. 1.*

Divisio est distributio perfecta generis in species.

De hæc tres sunt canones in genere:

1 *Divisum sit genus, non autem species infima.*

Ratio canonis est clara ex definitione divisionis, item ex illo: *Species, quâ species, non dividitur in species.* Itaque species infima nunquam cadit sub hanc divisionem: & species intermedia non dividitur, quâ species, sed quâ genus. Non igitur est divisio, si dicas, Homo est mas vel fœmina; intellectus est agens vel patiens; ecclesia est visibilis vel invisibilis. Nam homo intellectus, & ecclesia, sunt species infimæ. Hic tamen notes, speciem infimam à philosopho etiam vocari genus infimum, ut 3. *Metaph. c. 4. ἐχάλα γένη, τὰ ἐπὶ τοῖς ἀτόμοις, ὅιον ἄνθρωπος.*

2 *Cùm specierum propria nomina nulla sunt, appellantur nominibus numeralibus ordinis.*

Sic dicimus, troporum genera duo sunt, primum & secundum. Item argumentum est primi vel secundi ordinis. Differentia entis est primæ, secundæ &c. classis.

3 *Divisio esse judicatur, cùm genus prædicari potest de partibus seu speciebus suis ὁμωνύμως, in casu recto.*

Sic cùm animal dicitur esse homo, vel bestia, est divisio; quia τὸ animal prædicatione synonymâ dicitur de homine & bestia.

Divisio est primaria, vel secundaria.

Primaria est 1. quæ fit per differentias essentielles & proprias inter se dissentientes. 2. quando genus univocum seu perfectum dividitur.

Prioris exemplum est, cùm animal per rationale & irrationale dividitur in hominem & bestiam. Posterioris exemplum est idipsum; vel hoc, corpus est vivum vel inanimatum.

Divisio